



**S. Odilo Abbas. Cura defunctorum**

**[Köln], [1654]**

S. Zita Ancilla. Obsequendi promptitudo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



**S. ZITA ANCILLA.**

*Obsequendi promptitudo.*

Deus, qui nullam conditionem despiciens, raræ sanctitatis exempla, per humilem ancillulam ZITAM, voluisti mundo demonstrare; da, ut illius ad-  
juti precibus, in tuo servitio usque in  
finem perseveremus.

*Ora pro servis & ancillis,*

✠

**Z**ITA, circa annū 1200 in agro Lucensi rusticanis parentibus nata, duodennis venit in famulitium nobilium Fantinelorum, in eoq, ad extremam ætatem perseverans, magnam attigit sanctitatem, multis in vita honoratam miraculis, pluribus post mortem, quam obiit an. 1272. Vix abhinc sexennium fluxerat, cum publice coli ut Sancta cœpit, gratis per eam relatis, & juridice probatis, pluribus quā 150. Eodem tempore scripta etiam Vita est, multarum virtutum exemplis & divinis favoribus eximiis referta. Ibi commendatur obediendi promptitudo, submissio & observantia erga domesticos, liberalitas erga pauperes pene prodiga, hero tamen grata & utilis, mansuetudo animi summa, sed quam pro castitate tuenda posset in ferociam leoninam convertere. Spectatur etiam num super altari incorruptum ejus, licet exuccum corpus; & monstratur juxta domum Fantinelorum puteus, ex quo promptam pauperibus aquam bis vertit in vinum, ipsa vini abstemia. Ejus cultus etiam in Siciliam, Lusitaniam & Angliam invenitur fuisse, conditis ecclesiis, propagatus.

*Confidens in obedientia tua ... sciens, quoniam & super id quod dico, facies. Philem.*